



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimæ Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726**

**VD18 80217915**

Consultatio XXV. Sacrificium amoris: ubi fit sermo de sævis doloribus, quos perpressa est SS. Virgo ad pedem Crucis Christi in passione ipsius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45581**

## CONSULTATIO XXV.

*Sacrificium amoris, ubi fit sermo de sevis doloribus, quos perpeffa est Sanctissima Virgo ad pedem Crucis JESU Christi, in passione ipsius.*

**B**ene id dictum est tibi, Sanctissima Virgo; recordaris Sanctum Senem Simeonem esse Vaticinatum tibi in Tempio Jerofolymitano, quando offerentem te vidit Filium tuum Unigenitum Patri æterno. Observavit Sanctus hic Senex, quod brachia tua in altum sublata offerrent charissimum hunc Filium, quodque illa in formam Crucis teneres extensa, quasi ipsamet esse voluisses prima Cruz, supra quam adoranda hæc victima deberet immolari pro salute omnium peccatorum; Et Vaticinatus tibi est, quod tibi contigit. Videbat jam ipse vos in spiritu, ubi ego modò vos video in Golgothæo Vertice, Filium & Matrem eidem confixos Crucis, eosdem tolerantes cruciatus, idem Deo offerentes sacrificium: illum per effusionem sanguinis Corporis sui, & hanc per effusionem sanguinis cordis sui, & ambos admirabiliter simul cooperantes magno operi Redemptionis mundi.

Sanctus hic Senex, qui representabat Majestatem Dei regnantis in Templo suo, pronuntiavit jam tunc in vos vestri sententiam sacrificij, quod mors & amor simul confederati mandarunt postea executioni in monte Calvariz; Et ideo tibi dicit hæc verba tam profundis plena mysterijs: *Tuam ipsius animam pertransibis gladius. Idem doloris gladius tuam transiget animam, quæ est anima JESU; Et idem doloris gladius transiget animam JESU, quæ est anima tua: Ambæ, quæ non sunt nisi una, transigentur eodem omninò ictu.* Discursus hic videbatur quidem obscurus, & paulisper intricatus. Sed unum hic è præstigijs, amoris est, quæ sunt prorsus admirabilia: O quàm subtilia sunt, paucique explorata!

Illi, qui magis seriò indagarunt genium ac indolem hujus Regis omnium passionum & affectuum cordis humani, (amoris, inquam) dicunt, ipsam aliud non facere, quàm furari & restituere, quàm occidere & resuscitare, quàm exspoliare & de quo vestire, quàm

Explicatio  
Vaticinij S.  
Simeonis,  
& verborum,  
quæ dixit  
S. Virginali.

Mira per  
hæc &  
hæc a  
ti.



cruciate & consolari; sed restituere alteri tanto plus, quam rapuerit, reddere duas vitas, pro una, quam abstulit, locupletare duplicato illum, quem exspoliavit, semperque facere, ut superabundet Consolatio, ubi abundaverat tristitia: Et ecce quomodo invenierint solertiam amabilis hujus præstigatoris animarum.

Dicunt, primum, quod facit amor, esse, quod aufertur Cor amanti, ut donec illud objecto, quod amat; non abripit illud violenta, sed tam subtiliter id furatur, ut nemo advertat; imo & ille, qui hoc furtum patitur, nesciat. quâ ratione cor suum transierit in possessionem alterius: Novit is solam, id non amplius suum esse, sed esse totum ejus, quem amat. Ad amorem igitur se convertit, ipsi suas exponit querelas: Redde mihi cor meum, quod abstulisti mihi: Non negat amor furtum suum, nec abnuquit ipsi facere restitutionem, ad quam tenetur, sed facere vult illam duplicato fœnore: Convertit se igitur ad objectum amatum, idque urget tam instanter ad reciprocum amorem, ut ab eo continere se non possit: quâ enim ratione quis non amet, si noverit se amari? Amicus tuus dedit tibi Cor suum, an minus tu facere potes, quam vicissim ipsi dare tuum? Si lapis est, non intelliget hoc idioma; verum si cor habet, dabit id infallibiliter, & nunquam patietur

amor, quin indispensabili huic satisfaciatur obligationi.

Sed satisfaciendo illi dat semper altero tanto plus, quam acceperit (vide hic, quomodo hic fur duplicato restituat.) Is furatus est Cor amanti, ad dandum illud amato; habet ergo illorum is duo, suum proprium, & illud Amantis sui; is vult restituere, & obstringit illum, ut reddat amorem pro amore, & cor pro corde: Sed si reddat Cor suum totum plenum Corde sui amanti, invenietur reddidisse duo pro uno: Et sic semper reddit amor duplicato id, quod abstulit. Ne conqueraris amplius, qui dicebas amori: Abstulisti mihi subtiliter Cor meum, ut dares illud alteri; ne conqueraris; nihil hic perdes; accipe restitutionem, quam tibi facit, & vide quàm liberalis illa sit; pro corde ablato accipis duo, tuum cum illo amici tui, quod es lucratus. Ecce genium amoris; furari incessanter, & semper restituere plus, quam fuerit furatus.

Simili prorsus artificio incessanter facit mori, & incessanter etiam resuscitat, quod mori fecit; sed tantâ resuscitat cum usurâ, ut duas vitas reddat pro unâ, quam abstulit. Quod faciat is mori, commune idioma est amantium; dicunt ij omnes, se mori præ amore, & meritò id dicunt. Qui videt suam deferere se animam, ut aliò concedat, nonne dicere potest, quod moria-

Furatur  
absque in-  
termissio-  
ne, & dupli-  
cato resti-  
tuit.

Facit mori,  
& resurge-  
re perpetuò.



tur? sed dicere quoque potest, se resuscitari, quando alia anima pro sua ipsi redditur; Et si pro una sola anima, quam perdidit amando, recipiat duas nimirum suam & illam amici sui reciprocè se amantibus; nōne verum est, quod duplicatō restituat amor, reddens duas vitas, duasque animas pro una solā, quā abstulerat.

An forsitan tolerare non potes, quod dicam, has esse duas animas, eodquod è duabus amor non faciat nisi unam solam: annuo, sed quaeritur, cujus è duobus sit hæc anima? Est mea, dicit unus, eodquod medietas ejus sit mea per naturam, & altera medietas donata sit mihi ab amico meo; sed mea est, dicit alter quoque; eodquod dimidiam illius partem habeam à meipso, & altera dimidia pars sit donum & munus amici mei; Tua igitur est, & ipsius; Ipsius igitur est, & tua; id est, *Tuam ipsius animans*. Ecce ad amantissimā verba boni Simeonis ad Sanctissimam Virginem: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*.

Luo. 24

Quando ejusmodi est anima; eadem in duobus se reciprocè amantibus, & perfecte amantibus; quando ad utrumque æqualiter spectat ipsa, omnia illis sunt communia, bona & mala, gaudia & tristitia, dolores & voluptates, vita & mors; nihil invenies in uno, quod non invenias in altero. Ecce tibi genium amoris.

Jam certum est, si unquam

duos homines videre fuit in hoc statu, ipsos esse JESUM Christum, & Sanctissimam Matrem ipsius; non habent ipsi, nisi unam solam animam; Natura cuilibet ipsorum suam impertita est animam; sed tantā solertiā ac robore prevaluit amor, ut faceret non nisi unam è duabus, æqualiter ad utrumque spectantem absque ullā divisione: Totum sacrum Epithalamium non aliud decantat: *Dilectus meus mihi, & ego illi*; Nos nihil dividimus, ipsius dolores sunt mei, ipsius ignominia sunt mea, morsque ipsius meam pertransit animam, eodem ictu, quo pertransit suam: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Ideo Sanctus Laurentius Justinianus aspicit cor Sanctissimæ Virginis, velut perfectissimum quoddam speculum Passionis & Mortis Unigeniti: *Cor MARIE clarissimum speculum fuit Passionis Christi, & perfectissima mortis ejus imago*.

Hæc imago speculi, quæ pulchra nobis videtur, exhibet nobis JESUM Christum suffixum in Cruce, velut magnum quoddam Archetypum, in quo Deus Pater omnes suas expressit pulchritudines ab æterno; & in quo peccatum quoque omnes suas expressit abominaciones ac turpitudines in tempore: Ipse est Archetypum, in quo divina Justitia ostendit totum odium, quo fertur in peccatum, & in quo divina misericordia omnem que-

JESUS & MARIA habebant duas animas, sed amor ex ipse fecit unam.

S. Justinianus lib. de triumpho Christi regno.

S. Justinianus Virgo est speculum Passionis Christi.



quoque demonstrat amorem, quo prosequitur peccatores. Est is Archetypon tam admirabile, ut impossibile sit trahere ex eo bonum Ectypon, quo representetur talis, qualis est, nisi ipsemet se depingat in aliquo speculo; & nunquam aliquod speculum idoneum satis fuisset ad recipiendum species talis Archetypi, & representandum bene omnia ipsius lineamenta, nisi Sanctissima Virgo eo nomine exposita fuisset penes Crucem ipsius, ut esset clarissimum speculum, perfecte representans Passionem JESU Christi: *Clarissimum speculum Passionis Christi.*

Quod exponitur ante speculum, & quod exprimitur in speculo, non sunt duæ res, sed est eadem, quæ bis videtur: Judicandum igitur est, sævos dolores passionis & mortis JESU Christi, qui videntur in ipso, & illos, qui videntur in corde Sanctissimæ Virginis, quod eos representat velut perfectissimum quoddam speculum, non esse res duas, sed unam & eandem, quæ bis conspicitur.

Venite huc omnes veri & fideles Sanctissimæ Virginis clientes: Venite & videte, quid ipsa patiatur juxta Crucem dilecti sui. Non videbitis nisi eandem mortem & dolorosissimam passionem in Archetypo, & in speculo. Toties contemplati estis magnitudinem hujus passionis in personâ adorandâ JESU Christi, sed forsân nna-

quam tam perfectè expressam aspexistis illam, uti exprimitur in corde Sanctissimæ Matris ipsius. Illa invitât vos ad hoc spectaculum; hoc ipsum est, quod pavore concutit omnes creaturas, quod pallore obvolvît solem, quod scindit petras, dum accidit in monte Calvariæ. Ecce ipsam dicentem tibi lugubria hæc verba Jeremiæ: *Quoniam amaritudine plena sum: Thron. 1. Foris interfecit gladius; Et domi mors similis est. v. 20.* Aspice cum dolore, me plenam amaritudine extra me: Occidit gladius Filium meum Unigenitum: Plurimi horrendi cruciatus dilaniant ipsum in Cruce; Et in domo mors est omnino æqualis. Patior in corde meo, quidquid patitur ipse in personâ suâ.

Si attentè aspicias vivum hoc speculum Passionis JESU Christi, poteris observare ibi quatuor dolorum genera tam vehementium, tamque crudelium, ut excedant omne id, quod intellectus humanus posset concipere de illis. Primi sunt dolores peccati: Secundi sunt dolores naturæ: Tertij sunt dolores gratiæ: Et quartij sunt dolores divini. Ipsa suffert Sanctissima dolores peccati, eoquod non habent nisi cor unum cum JESU Christo, qui infinito odio prosequitur peccatum, & ad destruedum illud oppetit mortem. Ipsa suffert vehementissimos dolores naturæ, velut Matrum omnium perfe-

Virgo quatuor dolorum genera sustinuit juxta Crucem.



perfectissima. Ipsa suffert intensissimos dolores gratiæ, velut creaturarum omnium Sanctissima. Ipsa denique suffert certos dolores incomprehensibiles, qui transcendunt hæc omnia, quosque nominare possumus dolores divinos, eoque conjuncta sit necessitudine omnino prodigiosa cum per-

sonis divinis & cum patre, cujus est Filia; cum Filio, cujus est Mater; cum Spiritu Sancto, cujus est sponsa. Ecce tibi argumentum amplissimum & luculentissimum, ad discurrendum circa Martyrium amoris, quod Sanctissima Virgo perpessa est ad pedem crucis.

## ARGUMENTUM.

*Dolores peccati, quas perpessa est Sanctissima Virgo in passione sua.*

### ARTICULUS I.

**D**olor peccati est propria contritio: Ut sit tantus, quantum est malum, cujus est dolor, deberet esse infinitus, & ita cor conterere, ut interimeret illud præ afflictione. Nemo unquam nisi JESUS Christus concepit vehementem hunc dolorem, eumque tantum; quantus debet esse. Hæc redegit ipsum in horto Olivarum ad tales angustias, ut, postquam fecit ipsam sudare sanguinem, vel, si velis, sanguineas plotare lacrymas ex omnibus membris corporis sui, fateri coegerit illum, tristem esse animam suam usque ad mortem: Jam anima Matris, quæ ipsius anima est Filij, iisdem constringitur angustijs, eodem penetratur dolore ad plantam Crucis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Thren 2.  
v. 13.

Hinc est, quod Vates Jeremias

compatiens magnitudini doloris ipsius nuncupet ipsum proprio nomine contritionem. Comparat ipsum mari ob profunditatem, magnitudinem & amaritudinem ipsius: *Cui comparabo te Virgo Filia Sion? Magna est sicut mare contritio tua.* Cui comparare te potero Sanctissima Virgo Filia Sion? Video contritionem tuam, quæ est verus dolor de peccatis, matis adæquare magnitudinem. Non vult propheta dicere, quod invenerit omnimodam ejusdem mensuram, dum comparat illum mari, sed vult innuere juxta mentem Hugonis de Sancto Victore, quod sicut mare incomparabiliter transgreditur ceteras aquas in sua profunditate & amplitudine, sic dolores peccati, quos Sanctissima Virgo experitur in corde suo juxta crucem, incomparabiliter trans-

Quales sunt dolores peccati, & quomodo Sanctissima Virgo illos percolerit.

gre-



grediantur omnes illos, quos reli- qui Sanctorum senserunt. unquam in maximâ vehementiâ contritio- nis suæ.

Sanctus Hieronymus interpre- tans Nomen MARIÆ, affirmat, quòd significet: *Amarum mare.* Nomina dantur ad exprimendum naturam rerum: Quod nomen magis idoneum dari potuisset San- ctissimæ Virgini, toleranti dolo- res peccati cum Filio suo, ad plan- tam crucis, quàm appellando ip- sam MARIAM, id est, *Mare A- marum?* Affero tibi hic Concep- tum Sancti Bernardini, qui non minus doctus, quàm devotus fuit. Cuius Sanctissimæ Virginis. Di- scuit is circa hoc Nomen MA- RIÆ, hancque comparationem Maris, & quærit, unde hæc salse- do & amaritudo maris oriatur.

Oritur, inquit, ex applicatione Solis, qui virtute radiorum suo- rum attrahit ad se partes subtilio- res aquæ, è quibus efformat nu- bes, & exin in pluvias resolvit illas, quas effundit super omniem terram, ad irrigandum illam, ac conferendum illi fecunditatem: Et partes aquæ crassiores, magis- que terrestres remanent in imo, ubi torrentur & adurantur, & ideo hæc tam insipidâ imbuuntur ama- ritudine, ut nemo aquas maris bi- bere possit. Mare igitur amatum est ex aspectu oculorum solis; *Partes aqua subtiliores sublevantis & extrahentis, nec non & partes*  
R. P. *Uac Consultat. Tom. III.*

relictas adurentis, & per conse- quens amaricantis.

Non amplius admiror, Sanctis- simam Virginem esse MARIAM & magnum quoddam mare amaritu- dinum: Ad plantam Crucis ex- posita est ipsa oculus Solis, in plenâ suâ meridie. JESUS in Cru- ce sol est in suo apogeo, in ar- dentissimis ardoribus divini sui a- moris; an mirum sit, si MARIA ita directè ipsius exposita oculis e- vadat mare amaritudinis? Ipse divisit illam à seipsâ, attraxit ad se illud, quod magis est spirituale, magis purum, magisque sublime in ipsius animâ: Magna hæc ani- ma plena erat amore & odio; a- more erga infinitam bonitatem Dei; odio erga infinitam malitiam peccati: Amor ipse plenus erat dulcore, pacificè quiescens in sinu Dei, per perfectam cum divinâ ip- sius voluntate conformitatem; sed ipse odium manebat in ipsius corde, quod tantâ replevit amari- tudine, ut fuerit velut mare, cu- jus omnes simul homines nec cen- tesimam bibere possent partem.

Sanctus Bernardinus, qui diu *Serm. 47.* magnam hanc ponderavit verita- in qua- tem, meritis proia obtinere à Deo- drag. non mediocres circa illam cogni- Dolor San- tionem infusas, assent nobis, quòd- ctissimæ virginis ad plantam crucis suf- dolores peccati, amaritudines con- ficeret inte- tritionis, tam magnæ fuerint in- rimendis corde sanctissimæ Virginis ad plan- cunctis ho- tam Crucis, ut si dividerentur in- minibus, ter omnes vivas creaturas, nec u-

LIII nica

ales fiat  
ores  
cati, &  
onodo  
ctissima  
go illos  
telicit.

Deratus &  
viduo  
receptus  
i. Deron-  
hui circ-  
diores &  
Vigilais.



nica vires haberet sufferendi portionem vel minimam sibi imponendam, sed omnes in instanti oportunitate essent mortem: Hinc cur igitur illa non millies cessit fatis ad plantam crucis? Non erat tempus ibi moriendi, sed cum Filio suo patiendi dolores interiores, millies magis intolerabiles ipsa morte.

Impossibile est cuicumque intellectui creato concipere magnitudinem dolorum Animæ Sanctissimæ Virginis ad plantam Crucis, nisi comprehendere possit magnitudinem illorum JESU Christi in Crucem suffixi.

Maximi dolores JESU Christi in cruce fuerunt interni.

Non sunt dolores, quos patitur in suo corpore à carnificum crudelitate, quibus torqueatur maximè; sed sunt dolores, quos patitur ex occasione tot millionum animarum damnatarum, quæ ipsius discerpunt & dilanant cor separando se in æternum ab ipso. O DEUS, in æternum! Perdere animam, quæ mea est, quia creavi ipsam ad imaginem meam: Perdere animam, quæ æquiori jure mea est, quia redemi ipsam mei pretio sanguinis: Perdere animam, quam magis diligo vitâ meâ. Et ipsam perdere in æternum! Ita in æternum, & per omnem æternitatem.

Junge simul hæc omnia; Excellentiam animæ immortalis, valorem infinitum sanguinis divini, amorem incomprehensibilem, quo erga hanc animam fertur, & desi-

derium possidendi ipsam in æternum, jacturam illius, quam patitur, perpetuam; adjuuge pro complemento omnium, quod non solum unica sit anima, quam perdit, nec centum, nec mille, nec centies mille, sed multitudo innumerable nonnisi ipsi soli cognita; Ex his omnibus nonnisi unicum institue meditationem; si comprehendis omnia illius puncta; & comprehendere poteris magnitudinem dolorum interiorum, quos Anima JESU Christi tolerat in monte Calvarie: Sed quando omnes mentis tuæ intenderis nervos per annos centenos, sublimi huic meditationi; dices te minimam illorum nondum comprehendisse partem.

Ex hoc tuos conjice oculos in speculum, quod representat ad vivum ea omnia, quæ in magno hoc comprehenduntur Archetypo ante ipsum exposito; Hoc autem est cor Virginis Sanctissimæ: *Cor MARIE clarissimum fuit speculum Passionis Christi.* Videbis eodem dolores peccati, quos JESUS CHRISTUS passus est in corde suo, sed non videbis eorum magnitudinem in speculo magis quam in Archetypo, & admirandus cogèris dicere cum Vate: Oceanus hic est amaritudinis; abyssus est nesciens fundum: *Magna sicut mare contribulata:* O JESU, quid sustinisti: O MARIA, quid tolerasti pro miseris animabus mortalium! Quid repen-

Dolores interni Sanctissimæ Virginis fuerunt iidem.

S. Laurent. Justiniani lib. de triumphali agone c. 11.



rependere hæc possunt vobis in grati significationem animi? Aliud non exigitis, nisi amorem, & in gratæ hanc denegant vobis? Eheu! quando quælibet arderet amore, quo omnes in cælo æstuant Sera- phini, haud sufficeret, ut suæ facerent satis obligationi; & ipsæ

ne quidem unicam; quam vobis offerant, possident scintillam: pro quantum ingratitude barathrum! sed relinquamus hoc barathrum, & videamus, quâ ratione ipsa toleret vehementissimos quosque dolores naturæ ad plantam Crucis.

## ARGUMENTUM.

*Maximi natura dolores Crucifixerunt Sanctissimam Virginem aspectu JESU Christi Crucifixi.*

### ARTICULUS II.

Quiaque gradus con-  
suetudini,  
ut cogno-  
scendos do-  
lores natu-  
ræ s. s.  
Virginis.

**L**oquens hæc de doloribus natura, non dicam, Sanctissimam Virginem illos pati naturaliter, sicut pateretur quælibet pagana: loquor de doloribus, quos natura conciliare illi potest, quosque recipit ipsa ratione prorsus divinâ & supernaturæ. Ad concipiendum aliquid ex ipsorum magnitudine, conscendere nos oportet quinque gradus, qui nos in sublime attollent, nobisque horum dolorum ostendent excessum, vel saltem fateri nos cogent, inexplicabiles illos esse cunctis linguis humanis: Ecce igitur, quid sit considerandum.

Primo, quod Sanctissima Virgo sit mulier, & consequenter indolis suavis, benignæ & compatiens. Creditur propterea Latinos dedisse scemini nomen *Mulier*, à *mollis naturâ*. Videre est plus quidem fortitudinis in viris,

sed tamen etiam plus duritiei: Mulieres plerumque magis moventur tum gaudio, tum dolore, lachrymæque magis sunt ipsis familiaris; & semper videre est, ipsas citius emolliiri miserijs aliorum, quàm viros: sed inter omnes mulieres nulla unquam fuit corde tam tenero, benigno ac compassivo, sicut Sanctissima Virgo.

Secundò ipsa est Mater. Non est amor, qui adæquet amorem Matris erga filium suum: *Nullus amor vincit maternum*: Sed ipsa est Mater Filij Unigeniti. Dolor bonæ Matris de morte Filij sui Unigeniti est inconsolabilis, eodè quod irreparabilis ipsius sit jactura; sed Filius hic Unigenitus, cuius ipsa Mater erat, solus majoris est excellentiæ, quàm omnes filii omnium simul Matrum; fertur quoque ipsa majori erga ipsam amore, quàm omnes simul Matres

LIII 2

erga



erga omnes suos unquam ferēbantur filios; & consequenter dolor naturā, quem experta est in ipso morte, tam ingens est, ut omnes aliarum Matrum doleres ipso non exaquet dolorem. Sed tandem, quod summum illi conciliat dolorem, Filius hic Unigenitus, quo exspoliatum se videt per mortem, ipse est omnia; ipsum amittens omnia amittit.

S. Bernardus de planctu Virginis.  
SS. Virgo perdens unigenitum suum Filium perdit omnia.

Devotus Pater, Sanctus Bernardus id deplorat cum illa, ipsamque his verbis affectu & amore plenissimis loquentem introducit: *Tu mihi Pater, tu mihi Mater, tu mihi sponsus tu mihi filius; tu mihi eras omnia: O JESU! Fili Unigenite Dei vivi, & Fili Unigenite humilis ipso ancillae, quem in Cruce video morientem, tu solus mihi es omnia; te solo perditō, perdo omnia, & amplius nil habeo. Nunc erbor Patre, viduor spōso, desoler prole, omnia perdo; teque perdens omnium desolatissima sum Matrum. Ecce tibi aliquid.*

Ascendamus tertium gradum, & plura videbimus. Considera praesentem esse ipsam cruentam tragediam mortis Filij sui Unigeniti. Percipere ex alio nuntium magis cujusdam infortunij, tam vehementer affligit, ut speraverit infernus, susque deque versurum se patientiam Sancti Job, dum per plures saevos sibi invicem e proximo succedentes annuntiati fecit

ipso jaecuram omnium tum liberorum, tum facultatum ipsius in die unica: Dolor procul dubio longē major fuisset, si ipsemet hausisset oculis magnam hanc stragem se opprimentem, sibi que ab alijs duntaxat annuntiatam. Jam sanctissima Virgo non audit referri sibi ab alio tragicam de Passione sui filij historiam; ipsa met oculis usurpat illam; ipsius lumina crudelitatis in illum exercita sunt testimonia; ejusque cor omnia illius in se recipit vulnera: *Quae laciones in Corpore Christi, tot vulnera in Corde Matris.* Ipsa met revelavit Sanctae Brigittae, quod dolor, quem omnes creatura senserunt ex passione & morte communis sui creatoris, fuerit tam universalis, tamque vehemens, ut non solum caelum & terra, astra & elementa eam deplorarint; sed cor quoque carnificum & tortorum ipsius exit fuerit perturbatum, ita ut illi confecti sint mœrore, dum mori fecerant ipsum dolore; quodque etiam demones, quantumvis insensibilissimi hostes Dei, senserint ex eo augmentum dolorum, qui ipso acerbiore erant inferno. O bone Deus! o amantissime Deus! quam stragem igitur edat dolor tam vehemens in corde propriae Matris!

Quando experiri quis vult valorem alicujus gladii, seque accutare, ipsum partes suas acturum in proelio, periculum hujus facit super

S. Hieron.  
Sanctissima  
Virgo praesens erat  
mori Filij  
sui Unigeniti.

Phil.  
7.  
Nuntius  
juxta C  
com de  
re part  
millies  
cogent  
nata.

S. Bern.  
de.



Gladius do-  
loris per-  
transiens  
cor Sanctif-  
simæ Virgi-  
nis

super petras, supra ferram, supra  
as, supra omnia quasque durissi-  
ma: si diffingat petras, si dividat  
ferram, si dissecet aera, certus quis  
est, ipsum facile amputaturum &  
brachia; & capita & omnia, quæ mi-  
nus dura sunt matrem, nullam ipsi  
futura resistenciam: Ecce Sanctif-  
sima Virgo, gladius hic sui dans  
specimen valoris, de quo locutus  
est tibi Sanctus senex Simeon in  
Templo Jerosolymitano: *Tuam  
ipsum animam pertransibit gladius:*  
Ecce gladius hic doloris, qui diffre-  
git petras, perforavit cor carnificum  
discidit impenetrabilem duritiem  
iporum demonum, & tandem do-  
lore affectit cuncta summè insen-  
sibilia. Quis igitur comprehendat,  
quas redegerit in angustias Matrum  
omnium cor tenerrimum?

Sed conscendendus nobis hic  
est quartus gradus, ad conspicien-  
dum majorem adhuc vehemen-  
tiam dolorum Matris hujus admi-  
rabilis ad plantam Crucis. *Ibi  
dolores ut parturientis: suffert ip-  
sa hic vehementissimos puerperij  
dolores.* Non toleravit ipsa hos,  
quando Filium suum Unigenitum  
peperit in stabulo Bethlemico:  
Et æquissimum erat, ut, sicut con-  
cepit illum absque voluptate, ita  
& pareret ipsum absque dolore:  
Sed Sanctus Bernardus considerat  
illam velut solventem cum foeno-  
re in morte dilecti cordis sui, do-  
lores, quos Virginalis ipsius puti-  
tas infligi non permiserat in partu

ipsum dum inquit: *Nemo solvis  
Virgo cum usurâ dolorem, quem  
in partu non habuisti hunc milles  
replicatum, Filio moriente passa  
fuisse.*

Nihilominus nondum satis est,  
testat nobis quintus & ultimus  
passus, ad conscendendum subli-  
mimum gradum dolorum natu-  
ralium, quos ipsa pertulit ex aspe-  
ctu Filii sui morientis in monte Cal-  
variz. Videre morientem ipsum  
morte non minus pœnosâ, quàm  
probrosâ, permagnus utique hic  
dolor est; sed videre ita patientem  
& morientem ut non posset  
ipsum in te minimâ consolati; quin  
potius videre, se præsentia suâ ip-  
sibus adaugere dolores, & non  
posse separari ab ipso; dolorum  
omnium est maximus; nihil huic  
adjungi potest amplius. Est ad-  
huc aliquod solatii genus Matri,  
quæ suum mori videt Filium in  
brachijs suis, eòquod impendere  
ipsi adhuc valeat aliquid consolaa-  
tionis, quam suggerere illi potest  
amor ipsius naturalis. Sed Ma-  
trum omnium amantissimam ma-  
gis oportet affligi, ut nec minimâ  
potiri liceat ipsi consolationis um-  
brâ.

Audit ipsa conquerentem in *Speſta-  
Cruce Filium suum, quod lethali-  
um IESU  
sustineat sitim: Sitio: ipsa me-  
ptarietis in  
minit, quod teties irrorarit ipsius  
Cruce tor-  
labra Virgineorum uberum suo-  
quebat  
rum lacte: vellet transformare  
oculos S. S.  
cor suum & animam suam in po-  
Virginis,*

LIII 3 tio

Phil. 47. v.

7  
Iuxta Crucem  
cum dolo-  
re partu-  
milles  
regem  
mora

l. Bernar-  
dus



tionem quandam cardiacam, ipsique hanc porrigere, ut ab hoc liberaret ipsum tormento, sed non potest, quia potius summè torquetur ex eo, quòd intueatur in præsentia sua ipsum potatum felle & aceto. Quis comprehendere potest, quantà hoc fel affecerit cor ipsius amaritudine?

Intuetur ipsa JESUM suum totum vulneribus oblitum, & nullum potest alligare ipsorum; torrentes pretiosi ipsius sanguinis dilabuntur in terram, ubi conculcatur à pedibus equorum, & forsan lingitur à canibus, indignissimè profanatur tum per manus, tum per pedes carnificum, & ipsi ne guttulam quidem illius licet colligere. O sanguis adorande, cujus guttam minimam veneratione prosequitur universum cælum! ô liquor pretiose, cujus portio minima majoris est pretii, quàm centies milleni mundi! an igitur sic commiseris luto, & conculcaris à pedibus peccatorum! Et Mater, cui optimè illius exploratus est valor, hæc omnes intuetur profanationes.

Intuetur ipsa inclinari versùs se JESU caput, quasi loqui vellet sibi natantes in lacrymis cum sanguine à fronte guttatim diffluente mixtis Filij oculi duo Eclypsata sunt sidera, in quibus jam Mater videt umbras mortis; os ipsius semi apertum, & ipsius anima, jam extimis hærens in labris, non nisi

unicum illi loquitur verbum, quod lethali illius cor transfigit dolore. *Mulier, ecce Filius tuus*, demonstrandà ei dilectum suum discipulum Sanctum Joannem, juxta ipsam ad plantam Crucis stantem. Quàm mæstum vale! ubi nequidem potitur solatio, ut morientis nuucupetur Mater; erat id paulillo aqua conspergere fornacem cordis ipsius, ut magis adhuc succenderetur.

Sanctus Augustinus, asserens, quòd amor non aspicit, quid possit, sed semper credat, conficere se omnia posse, quæ desiderat, describit nobis conatum, quem desolata hæc Mater, & incomparabilis hæc Amatrix adhibuit, in maximà doloris sui vehementià, ad amplexandum suum Filium, quem fatis aspiciebat jam proximum; ambiebat saltem ultima ipsius suspiria suo excipere signa: *Volebat amplecti Christum in alto pendentem. Sed manus in se copiose redibant: At-* tollebat ipsa manus & brachia potius ex desiderio, quàm spe, quòd attingere & complexari posset filium, sed suavi hoc defraudata est solatio, & afflicta illius brachia identidem recidebant in ipsam, & morque impatiens ipsam exstimulabat denuò ad novum faciendum periculum: Sed ô vanos defraudati amoris conatus! quantis doloribus excrucias afflictæ hujus cor Matris!

An igitur te videam mori coram me

S. Augustinus ser. 2. de passion.

Conatus consolari Filium suum, sed non potest.



me, ô pretiosa mea vita animæ, absque eo, quòd tecum vel te mori possim, meamque pro tuâ dare vitam? *Quis det, ut moriar pro te Fili mi?* Ah? Exspirat ipse, & ego respiro adhuc: Claudite vos lumina, vestrum extractum est lumen; diffindere meum cor, tuâ defuncta est vita, diffriagere meum pectus, tuus JESUS non est amplius; egredere mea anima, tuus est JESUS mortuus, quid deinceps ages in mundo? O Mater Matrum desolatissima omnium! O MARIA ingens amaritudinum mare? Ecce non habeo vel paululum amoris tui, ut sentiam tecum aliquam saltem dolorum tuorum partem? O quàm horrenda es insensibilitas mea! O duritia, quanto me percellis terrore! Itane, itane sine duriciâ lapidibus, durior carnificibus Redemptoris mei? Itane durior ipsis dæmonibus, qui

tremebant & fremebant præ timore & horrore, ex aspectu hujus spectaculi? Et cor meum æneum est, & aridi mei sunt oculi aspicientes ipsum!

O Sanctissima Virgo convertor ad te. velut Matrem Misericordiæ; Apostrophe & oratio affectuosa ad Sanctissimam Virginem. mearum miserere miseriarum; ne patere me vel vivere, vel mori insensibilem, velut reprobum: Tu magnum es mare amaritudinum, amoris & contritionis; tuum his scatet & superabundat cor, ut cunctis miseria peccatoribus communices ex ijs, permittite haurire me ex magno hoc mari parvulam quandam divinorum affectuum tuorum guttam: Ah quòd submergere non possim omninò cor meum in magno hoc amaritudinum tuarum pelago! *Fac me Virgo tecum flere, Crucifixo condolere, donec ego vixero.*

\* \* \*

## ARGUMENTUM.

*Quâ ratione Sanctissima Virgo sustinuerit vehementissimos dolores gratiæ juxta plantam Crucis.*

### ARTICULUS III.

**S**ufficit esse sensibilem, ut experiatur quis, quòd natura suos habeat dolores; sufficit esse præditum ratione, ut quis indicet, illos quandoque eousque excrecere, ut amariotes sint ipsâ morte: Sed spiritualemente oportet, ut quis sciat, quòd gratiæ suos

æquè ac natura habeat dolores; & quidem spiritualemente experientia & praxi instructum, ut comprehendat, dolores gratiæ acriores & vehementiores esse cunctis doloribus naturæ.

Gratiæ habet passiones suas, sicut suas habet natura; sed sicut gratiæ habet passio-

gra-



nos & Con-  
sas suas si-  
ent nature.

gratia est supra naturam ita pas-  
siones ipsius sunt supra naturales,  
id est, vehementiores & aciores  
omnibus doloribus naturæ. Dan-  
tur gaudia supernaturalia, & me-  
mores supernaturales; dantur deli-  
cia & consolationes supernatura-  
les, dantur quoque desolationes &  
Crucis supernaturales, quæ pro-  
priè sunt dolores gratiæ, quibus  
quandòque DEVS tam atrociter  
affligit animas, in quibus suam fa-  
cit abundare gratiam, ut dum red-  
dit ipsas idoneas ad sufferendum  
hos dolores, idoneas non reddat  
ad declarandum & explanandum  
illos. Sanctus Job eloquentissimus  
omnium, qui locuti sunt nobis in  
facto codice, tolerabat illos mode-  
ram crudeli, ut nunquam aliter de  
ijs loqui posset, nisi quòd modo  
admirabili ipsum affligeret Deus:  
*Mirabiliter me crucias.* Admira-  
tur, & tacet.

Job. 10.

Omnia passionum naturalium  
vehementissima est amor profa-  
nus; vehementissima quoque om-  
nium passionum gratiæ est amor  
sanctus: Non nisi cogitationes sua-  
vissima & plurimum consolatoriz  
sunt, quando cogitatur de ipso, eò  
quòd constat illam esse scaturigi-  
nem & mensuram consolationum  
æternarum: Nihilominus differen-  
tia est inter amorem possidentem  
& amorem patientem: Verum est,  
eundem, quoad substantiam esse  
in cælo & in terrâ; sed tam diver-  
sus est in suis operationibus, ut pro

eo, quod in cælo sit summa bea-  
tarum animarum pax, ex adverso  
in terris sit sævissimus sanctarum  
animarum persecutor.

Loquitur cum Sancto Apostolo  
Paulo, qui probè divini amoris  
agnoscebat indolem: Audite quid  
dicat: *Omnes, qui volunt piè vi-  
vere in Christo JESU, persecutio-  
nem patientur:* Affirmat, omni-  
bus sub legibus divini amoris vi-  
vere volentibus expectandum es-  
se, quòd futurus is sit ipsorum per-  
secutor. Hem quid igitur ipsis in-  
ferret mali? Inprimis exspoliabie  
ipsum omnibus, à quibus expecta-  
re poterant aliquam consolatio-  
nem secundum naturam: Non  
nutriet ipsos, nisi crucibus, me-  
moribus, desiderijs, mortificatio-  
nibus tam acerbis, ut ipsorum vita  
futura non sit, nisi diuturna quæ-  
dam mors, dum privatos sese aspi-  
cient omni eo, quòd amaverint.  
O DEVS, quantum tormentum,  
nunquam non aspicere debere id,  
quòd non amatur, nempe mun-  
dum & creaturas, & aspicere non  
posse, quòd amatur unice, nempe  
DEVM solum. Nonne hoc sit  
vivere velut in obscuro quodam  
Carcere, ubi nil est, quòd non af-  
fligat; nil, quòd non displiceat?  
ubi lacrymæ sunt panes die ac no-  
cte animabus his, dum interrogan-  
tur: ubi igitur est hic, quem tan-  
tum amatis, DEVS?

Prima hæc persecutio trahit post  
se ingentem numerum aliarum:  
vide;

2. Tim. 3.  
v. 12.

Tormentum, quo  
sacer Amor  
affligit ani-  
mas.



videtur enim oblectari ipsorum amor, dum millenis modis exercuit illos: Abripuit ipse totas legiones Martyrum ad macellum, durante persecutione Tyrannorum; conuincit ipse in plena Ecclesie pace adhibere suos, velut victimas morti destinatas, quorum aliquos horrendis solitudinibus, velut totidem constringit ergastulis; alios ad summam addidit & redigit paupertatem; condemnat hos ad vivendum non nisi ex pane & aqua; flagellat alios ad sui effusionem sanguinis; obruit omnes tantis austeritatibus, ut acceleret ipsis finem vite, nimia pœnarum ac laborum suorum immanitate; & quando magis sacer amor dominatas fuerit animabus, tanto maiores exercebat in ipsas rigores; oportet sensibile manus ipsius, ut quis sciat, quid sit tolerare vehementes dolores gratis, utque fateatur, illos natura nihil esse in comparatione.

Verum quis unquam expertus est illos in tota sua fortitudine, uti Sanctissima Virgo ad plantam Crucis? Hic Divina gratia Mater experitur, quid sit tolerare vehementissimos gratie dolores; hic vere Regina est Martyrum, eoque ipsa Martyrium perfectus sit, nobilissimus, & incomparabiliter pœnossus illo ceterorum omnium Martyrum. O Martyrium prorsus singulare & incomparabile, ubi victima immolata est Mater DEI; ubi

R. P. Isaac Consultat. T. w. III.

magnus Sacerdos ipsam Sacrificans est amor sacratus; ubi Altare ipsius Sacrificij est vera Crux; ubi ignis ipsam consumens, est ignis cœli & Dei potest, id, quod Sanctissima Virgo toleravit in monte Calvarie, fuisse Sacrificium purissimi amoris.

Ut intelligatur hoc melius, observanda est pulcherrima Doctrina Sancti Augustini, qui quatuor distinguit Martyriorum genera, quorum unum excedit alterum in dignitate, eoque unum sit altero longè acerbius in crudelitate. In primo suspendit DEUS activitatem Elementorum, velut ardorem ignis in Martyrio trium puerorum fornacis Babylonice, comburentis & consumentis omnia, quæ fuerant circa ipsum, & constringentis in medio flammarum suarum iucundam quandam auram, quæ velut ameno quodam zephyro tres refrigerabantur pueri. Hi sunt Martyres voluntatis, & non operis; quamvis enim ipsorum voluntas non defuerit Martyrio, Martyrium tamen defuit ipsorum voluntati.

In secundo operari permittebat DEVS crudelitatis instrumenta, sed suspendebat sensibilitatem corporum in Martyribus. Oblectabantur carnifices satisfaciendo suæ crudelitati novis tormentis; magis adhuc oblectabantur Martyres novis supplicijs, suo satisfaciendo amoris. Tu inambulare me cogis prunis ardentibus, dicebat Sanctus

M m m m m Tibur-

S. Augustinus.

Martyria amoris in Sanctissima Virgine fuit majus omnibus alijs Martyrijs.

Quatuor Martyriorum genera.

Tim. s. 12. Formen- am, quo actr Amor filijs an- as.

has appat- uer Virgo Trinitas, in Martyr Martyrum hinc appat- ur. Richardus a Clar. lib. de Land. sup.



Tiburtius, pro quantâ me afficis voluptate! *Carbones tui mihi rosa videntur.* Hi Martyres sunt operis non minus, quam voluntatis; sed ex Martyrio suo majori perfundebantur voluptate, quam ex omnibus consolationibus ipsi.

In tertio DEVS non suspendebat nec activitatem tormentorum, nec sensibilitatem Martyrum: Sufferebant & moriebantur in dolorum suorum vehementiâ; DEVS autem effundebat in ipsorum animas tantam consolationum divinarum abundantiam, ut voluptas, quâ toti erant ebrii, ita lenierit ipsorum dolores, ut rotis implexi cubare se crederent in lecto molli, & ardentes craticulæ viderentur ipsis epulæ lautissimæ: Insultabant ipsi lictoribus ac Tyrannis suis, & sævissima quæque crudelitas satisfacere non poterat desiderio, quo succendebantur plura semper patiendi. Omnia hæc tria Martyriorum genera demonstrabant quidem Omnipotentiam DEI, sed non ostendebant tantam fortitudinem in Martyribus, eoque naturalis ipsorum infirmitas semper miraculose fuerit roborata à manu Dei.

**Purus amor & purus dolor constant nobilissimum triumphantissimum Martyriam.** Verum videre fuit quartum quoddam genus Martyrum, quos tradidisse videbatur DEVS toti furori, omnique crudelitati Tyrannorum, quin impedire voluerit vel violentiam tormentorum, vel sensibilitatem corporum, vel amaritudinem poenarum, mitigandâ

illam divinarum consolationum dulcore; sufferebant ipsi dolores adeo savos, ut nil haberent, nisi quod erat acerbum; dolores tam horrendos, ut ipsos percellerent horrore aspicientes; tamque derelicti erant in omnibus, ut videretur ipsum cælum induruisse æris & chalybis in morem erga ipsos: Naturalis ipsorum infirmitas succubisset millies, nisi conservata fuisset à fortitudine pari ameris. Eheu! Amot ipsorum tyrannus erat maximus, & tamen is solus triumphare fecit ipsos.

Afirmari potest, quartum hoc genus Martyrij tantò gloriosius esse cæteris, quantò est Sol splendidior omnibus stellis. Nescio, an magnus horum inveniatur numerus; Scio tamen Regem & Reginam Martyrum magis hos transcendere dignitate & excellentiâ, quam hi transcendunt alios: Hic Rex est JESUS Christus in Cruce; & hæc Regina est Sanctissima ipsius Mater, ad plantam Crucis JESU.

Hic Sanctus Laurentius Justinia-  
nus considerat ipsam velut clarissimum speculum, expositum coram Tragico & Cruento spectaculo JESU Christi Crucifixi, ut omnes ipsius recipiat species, & cuncta illius imprimat lineamenta sensibillissimæ animæ suæ parti. Nulla facies melius representatur in speculo, quam omnes dolores Mortis ac Passionis JESU Christi expressi sint, & vivacissime repræsen-

Maximi  
quique do-  
lores JESU  
Christi in  
Cruce, im-  
presserunt  
in Sanctissi-  
mâ Virgine  
quæ illius  
erat specu-  
lum,



sentati in corde piissima ipsius Matris; & hoc purissimi opus erat amoris solummodo affligentis eam doloribus gratia. Dicebat olim uni Apostolorum suorum Christus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*: Mi Apostole, si videre desideras Patrem meum, aspice ipsam in personâ meâ, in nullâ enim re differimus: Sed hic tibi dicit: *Qui videt me, videt & Matrem meam*. Aspice me in Cruce hîc, & seriò contemplare omnes dolores meos, & audacter dic. vidisse te Matrem meam in intimo Cordis ipsius; ipsa enim perfectissimè me representans est speculum.

Ne attendas, quòd Corpus ipsius nulla tibi ostendat cruenta vulnera, sicut hæc vides in toto corpore Filij ipsius Unigeniti. Quis ignorat virtutem naturalem fulminis, quòd quandoque conterit ac somminuit gladium in vaginâ suâ, quin vagina recipiat exin aliquod damnum? Hæc ratione quoque dolor crudelis hujus Passionis, velut animatum fulmen, parcens corpori Sanctissimæ Virginis, quod reliquit absque vulneribus, contrivit ipsius Cor, ipsiùtque animam. Audi, quòmodo ipsamet hoc declarèt in lamentationibus suis: *Subversum est Cor meum in meemetipsâ, quoniam amaritudine plena sum*.

Nihilò minus quantum prodigium, aspicere ipsam adhuc vivere

post omnes hæc mortes, & persistere semper firmam, & inconcussam juxta crucem, ad intuitum spectaculi tam funesti, tamque horrendi, ex quo omnes commota & concussa sunt Creatura. O amor morte fortior! Sacrificium Filij jam consummatum est per mortem, & illud Matris perseverat adhuc per amorem. Cùm Filius ex-pirasset in Cruce, idoneus non erat amplius ad sufferendum aliquem dolorem; Et Mater vivit adhuc ad plantam Crucis, ut sufferat crudelem dolorem istius lanceæ, quo Judæi confodient ipsius latus: Est Corpus Filij, quòd recipit vulnus, sed illius non sentit dolorem; Est igitur Cor Matris, quòd recipit hunc totum integrum. Et sic revelavit ipsa Sanctæ Brigittæ: Tunc videbatur, quòd quasi Corpus meum perforabatur, cùm vidissem Corpus Filij mei perforatum.

Adorandum Cor JESU puri amoris est fons; qui nunquam haurit ex hoc fonte, nunquam gustavit, quid sit amare purè. Ante mortem JESU clausus erat hic fons; Sed ubi primum est mortuus ex amore erga nos in Cruce, Scriptura dicit, lanceam aperuisse illum: Lancea latus ejus aperuit: Ut supeditaret nobis medium hauriendi ex eo liberè, & instrueret animam, quæ ardens sentit desiderium purè amandi Deum suum, unde desumere posset, ex quo sanctè extinguat litim, quam patitur. Ecce

M m m m m 2 Cor

Ipsa sola  
sentit actum  
lanceæ,

S. J. Brigittæ

psa. 14.  
55

Remen-  
um cordis  
bris amo-  
in San-  
tissimâ  
Virgine

psa. 15.  
126



Cor JESU apertum, nemo impedire te potest ab ingressu; illud fons est amoris purissimi, potes haurire ex eo, quantum placuerit tibi; Cor tuum huc affer ab omni alio vacuum amore, & certus est, replendum id ab eo abundantissime: Si enim ardes desiderio possidendi divinum ipsius amorem, is millies magis ardet donandi illum tibi. Sanctus Augustinus dicit, velle Deum facere è corde nostro

S. Augu-  
stin. in Psal.  
36.

arcam, cui includat pretiosissimas cordis sui divitias, ne abripiantur nobis à prædone mundi. *O homo, Cor tuum sit potius arca, ubi habitent divitiæ Dei: O homo, qui desideras, ut Deus sit thesaurus tuus, sis tu quoque thesaurus Dei, ut dicat tibi, & tu quoque dicere possis cum ipso: Ubi est thesaurus meus, ibi est & Cor meum.*

## ARGUMENTUM.

*Sanctissima Virgo affecta Martyrio ex vehementiâ dolorum divinum, quos patiebatur.*

### ARTICULUS IV.

**O**Mnia hæc tria dolorum genera, de quibus hucusque fecimus verba, quique dolores sunt peccati, dolores naturæ, & dolores gratiæ, communes quidem esse possunt Sanctissimæ Virgini & alijs; sed dolores divini, de quibus nonnisi rarissime fit sermo, tam specialiter, tamque proprie spectant ad ipsam, ut sanè nonnisi ipsius Filius & ipsa habiles fiat ad tolerandum illos; imò Filius ipsius nunquam tolerare eos potuisset, si illa non contulisset ipsi ad hæc capacitatem: O Deus quàm longè absunt consilia Dei ab illis hominum!

Dolores divini specialiter con-

Quando puella quædam auspiciatâ potitur forte, ut connubium inear cum potentissimo quodam

Rege; quando ipsa est Filia, quando est Mater, quando est Sponsa maximi alicujus Monarchæ, creditur, illam non solum securam esse ab omnibus miserijs vitæ humanæ, sed frui quoque omni felicitate, quæ vel optari, vel gustari possit in terris: Et sic judicant sapientissima politicarum legum instituta. Verùm aliter omnino sentiunt divinæ leges providentiæ, cujus prudentia caret sine: Nunquam enima pura aliqua creaturâ excellentiori ditata est connubio, quàm Sanctissima Virgo, dum exaltata est ad dignitatem Matris DEI: Siquidem ipsa habet tam arctam, tamque admirandam conjunctionem cum Divinitate, ut sit Filia, Sponsa & Mater non maximi alicujus Monarchæ

græve JESU Christo, & Sanctissimæ Mariæ ipsius.



cha in mundo, sed Regis Regum, sed Dei ipsius: Ipsa est Filia DEI Patris; Ipsa est Mater Filij Incarnati; Ipsa est Sponsa Spiritus Sancti. Non est in potestate Dei, quantumvis sit Omnipotens, nobiliorem inire conjunctionem vel amicitiam cum purâ quadam creaturâ.

Admirabili conjunctione Sanctissime Virginis cum tribus personis SS. Trinitatis hinc hinc

Nihilominus hæc tam sublimis conjunctio non tantum immunitatem ipsam non præstat à miserijs, aut ipsi confert felicitates vitæ præsentis, sed potius collocat ipsam velut centrum omnium miserationum, omniumque calamitatum, quas creaturarum miserima tolerate un-

quam posset: Siquidem non solum illa suffert gravissimos quosvis dolores naturæ in morte Filij sui Unigeniti, velut Matrum omnium affectuosissima & amantissima; non solum experitur vehementissimos quosvis dolores gratiæ, velut Sanctorum Sanctarumque perfectissima; sed etiam suffert immensum pondus dolorum divinarum, velut sola, quæ intimam habeat conjunctionem cum tribus personis Divinis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quarum qualibet specialiter affligit ipsam doloribus, quos nulla ex planare possit lingua humana: Incipiamus à Patre.

illam omnibus doloribus divinis,

§. I.

*Dolores, quibus DEUS Pater affligit Sanctissimam Virginem in passione.*

AD intelligendum ratione quadam, vel saltem ad conjiciendum paulisper, quomodo Deus Pater affligat ipsam doloribus divinis, considerandum est, quod in ordine naturæ Pater & Mater dividant æqualiter possessionem Filij alicujus Unigeniti, quem si mori contingat, dolor de jacturâ illius similiter inter ipsos dividitur, unde fit, quemlibet ex ijs non sentire illum, nisi dimidiâ ex parte. Sed Sanctissima Virgo non dividebat cum quopiam alio possessionem Filij sui Unigeniti, siquidem illi erat ipsius Pater, ipsius Mater secundum Sanctissimam ipsius Hu-

manitatem: debebat igitur ipsa portare sola omnem dolorem mortis ipsius.

Hem itane, JESUS Christus Pater æternus non habebat Patrem æquè ac Matrem? Pater æternus, nonne verus est ipsius Pater, sicut Sanctissima Virgo vera est ipsius Mater? Ecce Patrem ac Matrem veri alicujus Filij: Nonne igitur dispertiri inter se debeant dolores mortis ipsius? eodquod uterque dicere æqualiter possit: Meus Filius Unigenitus est mortuus: mori ipsum conspexi morte probrosa ac pœnosa supra Crucem. Ah! verum est; Ecce Patrem & Matrem unius ejus-

illam affligit illam doloribus, quos pati potuisset in morte Filij sui.

M m m m ; dcm

et JE- hristo, uctif. Matia



démque Filij Unigeniti; sed est Pater, qui Deus est. Et est Mater, quæ Deus non est. Et ecce principium incomprehensibilium dolorum, quibus sola obruitur ipsa.

Siquidem certum est, quòd dolor de morte Filij alicujus Unigeniti æquè Patris sit ac Matris: Et si per impossibile Pater æternus capax esset ad sentiendum dolorem, videns Filium suum Unigenitum mortuum, destructum & quasi annihilatum in Cruce, eòquòd infinità ratione amaverit ipsum, sentiret ex eo infinitum quendam dolorem, eòquòd proportionati hinc deberet & dignitati personæ, & amoris infinito, quo erga ipsum fertur: Verum is Deus est impassibilis & doloris incapax: Quid igitur faciendum? profectò enim meritissimo jure infinitus debetur dolor mortalis Filij: Deus Pater solvere illi hoc debitum non potest, quis igitur solvet illud?

Id faciet Mater, quæ faciet satis debitis Patris; Sanctissimæ Virgini Deus Pater solvenda imponet illa: Et quia ipse participem fecit eam divinæ fecunditatis suæ per Nativitatem Filij sui Unigeniti, ipsa recipit velut in commutationem, vel velut in solutionem in corde suo, omnem dolorem, quem talis Pater, qui doloris capax esset, sentire deberet in morte ejusdem hujus Filij; ita ut MARIA ad plantam Crucis, non tantum exsolvat proprias suas pœnas, sed etiam illas

Patris æterni. O dolorem immensum in magnitudine suâ! O dolorem infinitum in profunditate suâ! quis intellectus vel Angelorum, vel hominum comprehendere posset illum?

Fortassis hoc rapit vos in admirationem, & queritis: quòmodo possibile est, Sanctissimam Virginem capacem esse doloris tam stupendi, ut usque in infinitum sese extendat? Respondete mihi ad questionem, quam vobis proponam, & respondebo quoque ad vestram. Quòmodo possibile est producere ipsam Deum ex suâ substantiâ, cum nonnisi simplex sit creatura? Quòmodo possibile est, Deum Patrem reddidisse ipsam participem divinæ suæ fecunditatis tam verè, quàm verè ipsa est Mater naturalis ejusdem Filij, cujus ipse est Pater naturalis? Quòmodo verum est, Patrem hunc & Matrem hanc non habere nisi unicam solam & eandem relationem ad hunc Filium Unigenitum, cumque terminus hujus relationis sit infinitus in magnitudine, eòquòd sit Deus, relationem hanc pariter infinitam esse in dignitate & excellentiâ, eòquòd relationes suam accipiant mensuram à terminis, uti omnes tenent & affirmant philosophi? Dicite mihi, quòmodo possibile sit, Sanctissimam Virginem, cum nonnisi simplex sit creatura, ad tam divinas attolli excellentias, quin tamen ipsa sit Deus?

Responde

Stupenda  
miracula,  
quorum  
aliqua  
sædem  
concordant  
aliis,

Quòmodo  
Filius a  
pe doloris  
us div  
Sanctissimæ  
Matris



Respondebitis mihi, hoc esse per miraculum Omnipotentis brachij Dei tam prodigiosum, ut omnia transcendat miracula: Et idem ego respondeo vobis, quando me interrogatis: Quomodo possibile est, Sanctissimam Virginem sufferre potuisse in monte Calvarie omnes divinos dolores, quos Pater JESU Christi tolerare debuisset ob mortem ipsius? Respondeo enim vobis, id fuisse per miraculum Omnipotentis brachij DEI tam

prodigiosum, ut transcendat omnia miracula: Siquidem dubitare non potes, quin hoc ultimum non minus possibile sit Deo, quam primum; quamvis non capiam hinc infinitum in toto suo rigore; sed in latitudine, quam habere potest in quâdam creaturâ. Vide ergo, quomodo sufferat ipsa dolores divinos ex parte Patris æterni. Veniamus modò ad Filium, & videamus, an sufferat minus ex parte ipsius.

## §. II.

*Dolores quibus afflixit Filius DEI Sanctissimam Virginem in Passione sua.*

Quomodo  
Filius affli-  
xit dolo-  
res divinos  
Sanctissimam  
Matrem suam  
Ipse est propriè, qui tolerat in Cruce veros dolores divinos, quos Pater ipsius æternus tolerare non potest. Sed considera, unde is habeat hanc capacitatem; non à divino Patre suo, qui ipsi non confert, nisi solam suam Divinitatem; Ergò à Sanctissimâ ipsius Matre, quæ impertitur illi adorandam suam Humanitatem, quæ passibilis est, & hæc Humanitas terminata à personâ quâdam divinâ, verè Deus est; & consequenter dolores, quos ipsa patitur, verè sunt dolores divini. Sed quia verum est juxta idioma Sanctorum Patrum, quòd Caro Filij sit propria Caro Matris, quàm suppeditavit ipsa sola ut materiam Corpori ipsius adorando: *Caro Christi, Caro MARIÆ*; Verum quoque est, dolores

Filij esse dolores Matris; Ipsa igitur patitur in Filio suo, & cum Filio suo dolores divinos.

Sanctus Bonaventura in opere S. Bonavent. stim. div. amoris 6. 3. prorsus Seraphico, quòd intitulatur stimulus divini amoris, Capite tertio, quòd est de lacrymis Sanctissimæ Virginis juxta Crucem, alloquitur ipsam his Verbis pietate tanti Patris sanè dignissimis: *O Domina mea, ubi stabas? Nunquid tantum juxta Crucem? Imò certè in Cruce cum Filio ibi crucifixus eras secum, Sed hoc distat, quia ipse in Corpore, tu autem in Corde: Nec non & ejus vulnera per Corpus ejus dispersa, in tuo sunt corde unita. Ibi Domina lanceatum est cor tuum, ibi spinis coronatum, ibi insultum, exprobratum, & contumeliis plenum, aceto & felle potatum.*  
O Do-



Dolores  
Filij erant  
dolores  
Matris.

O Domina cur iussi immolari pro nobis? Nunquid non sufficiebat Filij passio nobis, nisi crucifigeretur & Mater? O Cor amoris, cur conversam es in globum doloris? Aspicio Domina Cor tuum, & id non Cor, sed myrrham & absinthium & sal video: Quero Matrem DEI, & ecce invenio spina, flagella & vulnera, quia tota conversa es in ista. O mira res! tota es in vulneribus Christi, totus Christus crucifixus est in intemis visceribus Cordis tui. Hucusque ille.

S. Bernardus  
homil.  
in stabat.

Sanctus Bernardus considerans amorem dolorosum hujus Matris stantis juxta crucem non minus ingeniosè, quam piè, verbisque summo affectu & amore plenissimis ita discurret. O dolores inexplicabiles! inquit: O ineffabilem sancti amoris reciprocationem! Patitur Filius pro Matre & pro toto mundo; sed dolores passionis ipsius in morem impetuosi erant torrentis, qui postquam submerferat ipsum, abundantissimè sese effudit in Matrem, illamque eisdem amaritudinis suæ submerfit aquis: Et quia flumina semper revertuntur ad locum, unde exeant, ut ex eo iterum fluant, hinc iidem dolores revertuntur à Matre ad Filium, & à Filio ad Matrem; Et hic continuus est reditus, nunquamque intermissa reciprocatio passionis & compassionis in ambobus.

Mirabiles  
effectus

Tam admiranda natura est Sympathiz, ut si aptes duas cytharas eo-

dem tono, tangasque unius chordas, mox resonatura quoque sit altera, & eandem redditura Symphoniam. Jam nunquam tam vehementis, tamque perfecta fuit Symphonia, quam illa Matris Admirabilis cum adorando suo Filio: Si quidem hæc non solum originem trahit ex natura, quæ perfectissima est in ambobus, sed ex gratiâ, quæ eadem, quoad plenitudinem suam in ambobus est, uti asseverat Sanctus Hieronymus: *In MARIANA totius gratiæ, quæ in Christo est, plenitudo venit*; Et non solum ex gratiâ, sed ex eadem divinitate, certâ quâdam ratione; Cum unus sit proprius Filius Dei, & altera vera Mater Dei. O Sympathiam admirabilem! O conjunctionem inæ comparabilem, quam producit natura, quam perficit gratia, quâ inque coronat divinitas. Verè igitur illi sunt duæ cytharæ perfectè concordæ, & eidem aptatæ tono.

Hæc an dubitare possumus, quin iidem contactus, qui doloribus afficiunt Corpus & Animam Filij, vivacissimè penetrant Corpus & Animam Sanctissimæ ipsius Matris? Ambo non nisi eandem reddunt harmoniam; ambo patiuntur idem Martyrium amoris & doloris; ambo offerunt Deo idem sacrificium pro Redemptione animarum nostrarum; ambo effundunt sanguinem suum in morem torrentis; sed unus effundit sanguinem sui Corporis, & altera effundit sanguinem sui

Sympathiz.

Quæ  
mag  
quam  
com  
cor  
no  
f  
qu  
su  
p  
ec  
m  
l  
i  
de  
do  
la  
con  
im  
s  
u  
fig



torqueba-  
tur magis,  
quam si  
torque-  
retur in se,  
quia supra  
in ceteris  
vultu di-  
gnitas id  
vultu dolo-  
re.  
Eadem  
im. s.  
179.

sui cordis: *Ille in sanguine Carnis, hac in sanguine Cordis: O MARIA, vera Mater misericordiae? An non sufficit crucifigi Filium, nisi crucifigatur & Mater? An ardens ac vehementis amor, quo prosequeris nos, suis defraudetur votis, nisi coopereris cum divino hoc Salvatore, ad magnum nostrae salutis opus, eodem cum ipso in monte Calvariae sufferendo dolores? Ve-*

*rùm cum non habess cor unum & animam unam cum ipso, oportebat juxta sancti Simeonis vaticinium, ut idem ictus ejusdem gladij doloris vos satisfaceret, vosque configeret & transfigeret ambos: Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Et hac ratione Filius aequè ac Pater, juxta Crucem excruciat ipsam, vehementissimis doloribus divinis.*

§. III.

*Dolores, quibus Spiritus Sanctus affligit Sanctissimam Virginem in Passione.*

Quomodo  
Spiritus  
Sanctus  
excitaverit  
ipsam do-  
loribus di-  
vini.

**T**andem Spiritus Sanctus, velut sponsus ipsius ultimam apponit manum; Ipse, qui in divinitate est vinculum sacrum Filij ac Patris, constituit quoque in Humanitate admirabile vinculum Filij ac Matris. Sed pro eo, quod in Divinitate conciliat infinitam gaudium Filio ac Patri, eodem amore ipsis communi, in Humanitate conciliat oppositum, & facit, ut divini dolores iidem sint in Filio & in Matre per eundem amorem ipsis communem. Videmus probè, vinculum, quod natura facit inter corpus & animam, tam strictum, tamque arctum esse, ut omnes dolores, quas harum partium una tolerat, similiter sentiat & toleret altera: Diceret quis, ipsas esse non nisi rem eandem, nihilque inter se divisum habere: Sed quae comparatio est facienda inter unionem

naturalem animae & corporis, & unionem supernaturalem ac divinam inter Filium Dei & amabilissimam ipsius Matrem per Spiritum Sanctum?

Aspice ipsos, si velis, velut corpus & animam: Tam verum est, quod, sicut anima, quae purus est spiritus, sensibilis & visibilis non redditur, nisi quia induta est corpore, sic fides demonstret & ostendat nobis, Verbum aeternum, quod purus Spiritus est, non esse visibile oculis nostris, nec palpabile nostris manibus, nisi quia Sanctissima Virgo illud induit propriae suae carnis vestimento: *Habitu inventus ut homo; Ecce ipsius vestimentum; Quod vidimus oculis nostris, & manus nostrae contrectaverunt de Verbo vita; Ecce id visibile ac sensibile per corpus humanum, quo contegitur; Et in hoc*

Philip. 2.  
vers. 7.

1. Joan. 1.  
vers. 1.

R. P. Isaac. Consultat. Tom. III.

N n n n n

Ragu





statu firmè habet, sicut corpus & anima, quæ cum maximâ sibi invicem obstringantur necessitudine & amicitia, eosdem patiuntur dolores, quibus se invicem afficiunt, ita ut reciprocas inter se possent cedere querelas.

Anima diceret Corpori: Eheu! Ego sum, quæ te excrucio: Nisi enim animaret te, sentire dolores non posses; Et corpus responderet animæ; Eheu! Ego te affligo; si enim induta non esses carne meâ tangi & torqueri non posses ullo dolore sensibili. Eadem ferè ratione, Sanctissima Virgo suum aspicit Filium in Cruce, in quâ vehementissimos tolerat dolores: Eheu? Dicit ipsa; Ego sum, quæ te affligo, si enim non dedissem tibi corpus passibile & mortale, quale geris, impassibilis fores, &

invulnerabilis, non minùs, quàm Deus Pater tuus; Ego igitur te excrucio, ego Mater tua lævis te afficio doloribus, te dilectum meum Filium, & Deum meum immortalem: Et Filius aspiciens divinam Matrem suam, quæ eosdem juxta Crucem patitur dolores, dicit ipsi ex compassione quâdam omni plenâ teneritudine & amore: Eheu! Ego sum, qui te excrucio! Ego tibi pario & paro crudele, quod toleras, tormentum; Ego enim te animans sum anima; Et tu non recipis in corde tuo repercussionem omnium dolorum meorum, nisi quia illorum sum ego principium. Et hæc omnia per Sanctum sunt Spiritum, ex cujus obumbratione Sanctissima Virgo, suo dedit Filio corpus humanum.

utpote uniti per Spiritum Sanctum.

Si Corpus & anima invicem unita naturaliter se invicem affligunt; quanto magis JESUS & MARIA

## ARGUMENTUM.

*Affectus JESU Christi erga Sanctissimam Matrem suam, & reciproci affectus Sanctissimæ Virginis erga Charissimum suum Filium, qualisque nostros oporteat esse.*

### ARTICULUS V.

S. Laurentius Justinianus lib. de triumphali agone cap. 11.

**H**Ac super te Sanctus Laurentius Justinianus concepit affectum hunc suâ dignum pietate: Gemit Filius, quod videat Sanctissimam Matrem suam, præsentem spectaculo tragico Passionis suæ: Loquitur is in secreto cordis sui voce admodum lugubri;

ut quid huc venisti, columba mea, dilecta mea, meos ut augeas dolores tuâ præsentia? Siquidem cruciatus, quem suffers, dilaniat cor meum. Eheu! Eheu! Quò curris Mater mea? ad fontem lacrymarum, ad torrentem amaritudinum, ad abyssum tristitiæ: Recede,



de, meūque leni dolorem, meis abscondendo te oculis; L. vera temetipsam à malorum diluvio, quo submergor; portare non poteris immensum divinorum pondus dolorum, quibus ipsemet absorbeor omnipotens DEVS; Non nisi meos augebis cruciatus cruciatibus tuis: Carnifices minùs affligent me exterius crudelitate hinc, quàm afflictura me sis interiùs tui amoris tenetudine: Tu congeminas omnes dolores meos, magnitudine dolorum tuorum; Bis igitur Crucifigendus sum, semel à carnificibus, semel ab amore tuo. Hem, quid respondet ad hæc Sanctissima Virgo?

Explicavit semetipsam per reciprocos animæ suæ affectus, loquens Sanctæ Brigittæ per dilectam & admodum familiari famulæ suæ, cui sæpiùs intima cordis sui aperuit arcana. Quando dilectus meus Filius nascebatur è Virgineo utero meo, sentiebam dimidium cordis mei ex meipsâ egredi, & nasci cum ipso; Et quando patiebatur ipse in Passione suâ, sentiebam pati cor meum eisdem dolores: quamvis enim non nisi dimidium amplius habuerim illius partem, pars, quam amplius non habebam, faciebat omnes filij sentire dolores partem illam, quam habebam adhuc: Sic quando Filius meus tam crudeliter fuit flagellatus, eâdem ratione flagellatum sentiebam Cor meum, & eundem illius experiebar dolorem:

Quando aspexi ipsum coronatum spinis; perforatum erat Cor meum earundem spinarum aculeis: quando intuebar manus ipsius ac pedes confixos clavibus in Cruce, tolerabat Cor meum sævos dolores eorundem vulnerum. Aspiciebam ipsum fixè, & ipse similiter aspiciebat me, meique oculi ipsius intuenti plagas, effundebant torrentis more sanguinem cordis mei, sicut ipse more torrentis effundebat sanguinem Corporis sui: Tanta sufferebam aspiciendo ipsum, ut solus ipse bene agnoscat magnitudinem pœnarum mearum; & ipse sufferebat tanta, aspiciens me ita pati, ut omnes immensi dolores, quos in suâ tolerabat personâ, sopiti viderentur ex aspectu dolorum meorum; & mihi quoque videbatur, quòd omnes dolores mei, quamvis vehementissimi, qui à purâ creaturâ tolerari possunt, nihil essent respectu dolorum ipsius: Hinc cum veritate dicere possum, dolorem ipsius fuisse dolorem meum, & mortem ipsius fuisse mortem meam, eòquòd Cor ipsius verè fuerit Cor meum. Ppende hoc bene Filia mea (prosequebatur Sanctissima Virgo ad Sanctam Brigittam) & profundè hanc veritatem insculpe animo tuo, & amarum tibi non erit deserere mundum, nec difficile contemnere cætera omnia, ut unicè te devoteas servitio ac amoris ipsius. Si amaveris ipsum ex toto corde tuo,

Nnnnn 2.      si ama-

S. Brigitta  
lib. 1. Re-  
velat. cap. 66

Affectus re-  
cipio i san-  
ctissimæ  
Virginis  
revelati  
sanctæ Bir-  
gittæ.



si amaveris ipsum unice, si amaveris ipsum ardentissime, proprio tuo cognosces experimento, quod nunquam cognoscere poteris, quoad ipsum ita amaveris.

Eheu! quid cogitare possumus de stupenda duritia nostra circa Passionem Redemptoris nostri, & barbatam nostram insensibilitatem circa compassionem Sanctissimæ Matris ipsius. Aspiciamus absque eo, quod commoveamur, tam portentosum hoc spectaculum, quod concussit cælum & terram; quod plorare fecit amare tum Angelos, tum homines; quod commovit & diffregit petras, quod pavore percussit ipsum infernum; nos aspiciamus hæc omnia absque affectu, siccis oculis, insensibili corde, haud aliter, ac si id esset æreum. Nonne ex hoc humiliemus nos usque ad abyssos, & moriamur præ pudore? Abscondamus nos in fundo nihili, & contremiscendo metumus æquissimas redargutiones, quas facere nobis poterunt omnes Creaturæ.

Tunc vocas te Christianum? Tunc profiteris, servare te legem, quæ tibi præcipit, ut ames Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota animâ tuâ, & ex totis viribus tuis? An nuncupas te Filium ipsius, dum quotidie ipsum vocas Patrem tuum, ausus petere ab eo possessionem Regni ipsius, & prætere participacionem gloriæ suæ æternæ: Et ita negligis ipsum, ac si nihili es-

set apud te? Imò ita contempsisti illum, quasi minoris esset, quam palea: Aspexisti Sanctissimam Matrem ipsius Creaturarum omnium perfectissimam, quàm esse oportebat exemplar tuum; vidisti tollerare eam juxta plantam Crucis sacratissimos quosque dolores naturæ & gratiæ, & dolores etiam divinos, quibus ab amore suo cruciabatur, & nunquam eorum ulli compassus es in corde tuo?

Nonne sentire debebas dolores peccati, aspiciendo illud velut crudelem carnificem, JESUM Christum in Cruce excruciantem? Nonne sentire saltem debebas dolores naturæ, quando fuisses non nisi creatura prædita ratione? Ipsæ Diaboli, quibus nihil est supernaturalis, senserunt mortem Creatoris sui, contremiscentes præ timore, ad solam aspectum Crucis ipsius: Et tu, qui majorem illis habes notitiam de admirando excessu tormentorum ipsius: Tu, qui nō stis, ipsum mortuum esse pro te, & non pro ipsis; quando instructus non esses à lumine fidei divinæ; quando exploratam non habuisses historiam tragicam cruciatuum & mortis ipsius, nisi velut veritatem quandam humanam, novisses autem illam tam certam, ut dubitare de illa non posses; nonne saltem emolliri deberes, & aliquo commoveri affectu vel doloris, de opprobrijs Majestate infinitâ tam indignis, vel compassionis ob crudi-

Exprobratio insensibilitatis nostræ circa passionem Domini nostri.



delitates tam iniquas in innocentem ipsius personam exercitas, vel gratitudinis ob incredibilem excessum amoris ipsius, quo stimulante hæc omnia patiebatur pro te? O quàm execranda tua est insensibilitas!

An igitur carebas sensu circa humanas res minimas, quæ tuum spectabant Emolumentum? Videre erat te inconsolabilem ob mortem alicujus Filij, ob sortem adversam cujusdam amici, vel ob jacturam paucorum bonorum temporalium: O probrum! O dedecus! Videre sæpius fuit feminas Christianas plorantes ob jacturam alicujus volucris, vel mortem parvi sui catelli, dum interim JESUS Christus, qui Deus est, quem ipsæ adorare se simulant, quæmque amare obstringuntur ex toto corde suo, sub pœnâ damnationis æternæ, elicere non potuit affectum vel minimum è corde ipsarum. Stupida & ingrata creatura! Deus igitur tuus tibi minoris est hæc volucre, hęc catellô, vilissimis hisce crepundijs? an lacrymis & dolore naturali prosequeris omnes hæc nugas, cuncta hæc titivilitia, & non nisi neglectu, non nisi contemptu prosequeris Deum tuum? Non immeritò te ita redarguerem, si tantum humanâ imbutus esses cognitione circa nostri veritates Evangelij.

Sed tu, quem divina fidei instruxerunt lamina; tu, qui Religionem profiteris Christianam, &

huic innixam cupis omnem fiduciam æternæ salutis tuæ; Tu, qui te pascis ac nutris Corpore & Sanguine adorando JESU Christi; Tu, qui hauris è fontibus gratiarum ipsius; an unquam scivisti, quid sit sentire dolores gratiæ, considerandò dolores Passionis ipsius? an ignorare potes, quòd gratia transcendat naturam, amorque divinus, qui velat supremus principatur Dominus in cunctis cordibus, quæ non privantur gratia, incomparabiliter sit fortior amore naturali; & consequenter, si amor naturalis necessariò sentire cor facit dolores naturæ, ob jacturam ejus, quòd amat, amor divinus, cum longè fortior sit, sentire vehementiùs cor faciat dolores gratiæ, quòd amat: An unquam id ipsum sentisti?

An vehementer amare quis possit, & perdere id, quod amat, absque sensu? an esse hoc potest? Sed citra id, quòd perdatur, an amare quis potest, & videre illum, quem amat, affectum injurijs, contemptum, malè acceptum, sanguine suo perfusum, expirantem morte violentâ, pœnosâ ac infamî; An amare quis potest, & videre hæc omnia absque sensu? An esse quis potest insensibilis, si vel minimam favillulam habet amoris? Non: Verum an insensibilis esse quis potest, si habet amoris multum? multò minus id potest. Quòmodo igitur esse quis possit insensibilis,

N n n n 3      si

Reprehensio Christianorum, quæ insensibiles sunt ad dolores gratiæ.



si habeat gratiam, si amet ipsam ex toto corde suo, & ex toto à animâ suâ, & ex totis viribus suis, sicut ad hoc obligati sumus ex præcepto omnium maximo? quis diffirebitur, hoc absolute esse impossibile? Fatere igitur, non habere, neque gratiam, neque amorem, si nullatenus ex eo commovearis. Interim interroga Cor tuum, an unquam senserit, quid sit sufferre dolores gratiæ, vel saltem sciat, de quo sit sermo.

Omnes ferè ignorant, quid sint dolores divini.

Si ignoras, quid sint dolores gratiæ, an cognosces, quid sint dolores divini? an unquam ipsorum solummodo concepisti in mente idæam? si id non nosti, addisce à Sanctâ Virgine, quæ tam vehementes patitur illos juxta Crucem, ut propterea merito nuncupetur omnium Regina Martyrum, cum nulla unquam ipsi par fuerit in tormentis, quibus ab amore suo amorum omnium maximo cruciata fuit ex aspectu Dilecti sui in Cruce pendentis.

Addisce id à tantis alijs Sanctis; à Seraphico Sancto Francisco, qui cum ex ijs habuerit animam totam contritam interitus, hosce dolores portavit etiam in Corpore suo, & ex singulari quodam, cunctisque sæculis admirando prodigio, vulneratus permansit ijs usque ad mortem, visibiliter, sed dolerosissime gestans easdem amabilissimi & amantissimi JESU sui plagas, in

manibus suis, in pedibus suis, & in latere suo.

Addisce id à Sancto Dominico, de quo Sanctus Antonius scripsit, duos ipsius oculos fuisse quasi duos rivulos lacrymarum, quæ nunquam non defluabant, quæcumque amor Cordis ipsius, à quo incessanter adurebatur, fons erat & scaturigo; ita, ut per prodigium quoddam gratiæ, summè oppositum ordini naturæ, ignis produceret aquam, & hæc aqua, pro eo, ut extingueret ignem ipsius, illum potius nutiret, magisque accenderet.

Addisce id à Sancta Margaritâ de Cortonâ, quæ non solum effundebat aquam à Capite suo per oculos, sed lapsus sanguinem à Corde suo, quæque sæpius excæcata tum lacrymarum suarum abundantia, tum dolorum suorum vehementia, perdidit aspectum omnium creaturarum, ut nil amplius videret, quam oculis mentis suæ amabilissimum Salvatorem suum Cruci cohxum: Et in hoc statu, cum neminem amplius videret, nec etiam crederet se ab aliquo videri, utrinque portigebat manus, sicut aliquis faceret cæcus: Deducite me, inquit, ad dilectum meum; dicite mihi, ubi invenire possim ipsum. O mi JESU, jucundissima animæ mez vita, dic mihi, ubi quiescas, ubi moraris, ubi moraris in maximo dolorum tuorum excessu.

Regiudicatus  
Sanctæ Margaritæ de  
Cortonâ.

1. Cor.



cessu: Quæro te, desidero te, vo-  
co te, ploro, clamo, morior præ  
tristitiâ & fastidio, nisi inveni-  
ero te, nisi patiar, nisi moriar pro te, &  
amore tui. Hisce affectibus plu-  
rimùm devotis, quibusque sum-

mè oblectabantur omnes, suam  
obtinuit finem Consultatio. Sed  
sequens magis adhuc fuit utilis,  
magisque consolatoria.

¶ (o) ¶

§

## CONSULTATIO XXVI.

*Phoenix, ubi agitur de Morte Sanctissima  
Virginis.*



**C**hryfantus, qui om-  
nia in bonam ver-  
tebat partem, faci-  
lis ad credendum  
ea, quæ bona sunt  
quod Sanctus Pau-  
lus recenset inter effectus & notas  
Charitatis: *Charitas omnia credit.*  
Vir hic nimisq; iam simplex, sed de  
cætero admodùm devotus, ditissi-  
mum sese existimabat, eodquod ju-  
dicio suo possideret pretiosissimas  
quasdam Reliquias, quas custodie-  
bat velut hereditatem à majoribus  
suis semper sollicitè conservatam in  
familiâ suâ, quasque per traditio-  
nem esse credebant fragmentum a-  
liquod è Costis Sanctissimæ Virgi-  
nis: Luitprandus cognatus ipsius,  
doctior illo, eodquod paulisper fre-  
quentaverit scholas, aliquantulum  
etiam versatus in lectione Sancto-  
rum Patrum, illudebat ipsius cre-

delitati, & errore exsolvere nite-  
batur ipsum.

Infelix homo, dicebat ipsi Luit-  
prandus, an ignoras, nos nihil ha-  
bere ex Corpore Sanctissimæ Vir-  
ginis in terrâ, idque totum inte-  
grum cum Animâ sua esse in cælo?  
An nescis, annuatim celebrare Ec-  
clesiam Festum gloriosæ ipsius As-  
sumptionis, illamque credere,  
quod triumphans in Corpore &  
Animâ ingressa sit gloriam? Ad  
equidem novi, respondit Chryfan-  
tus; sed nonne habemus in terris  
reliquias plurimorum Sanctorum,  
qui etiam sunt in cælis? Ita qui-  
dem aliorum Sanctorum, qui mor-  
tui sunt, reponerat illi Luitpran-  
dus, sed Sanctissima Virgo non est  
mortua.

Quomodo, non est mortua, re-  
plicat subsperè Chryfantus, admi-  
ratus hanc propositionem: Ipsa igitur

Non habemus in ter-  
ris reliqui-  
as ex Cor-  
pore San-  
ctissimæ  
Virginis.